

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 106

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Noverit tam presentium fidelium nostrorum industria quam et eorum ex toto posteritas futura, qualiter Rothardus sanctae Herveldensis aecclesiae venerabilis abbas maiestatem nostram adiit ac secum praecepta domni Ottonis primi imperatoris augusti detulit informata secundum edicta Karoli imperatoris augusti, qui eundem locum primus construxit, in quibus detinebatur, ut in rebus ad suprascriptam aecclesiam pertinentibus nullus episcopus missusve suus neque iudex publicus neque missi nostri mansionaticum exigant aut aliquid vi abstrahere praesumant nemoque episcoporum aut archidiaconorum monachos ibidem deo servientes lege canonica tangere praesumat; et quodocunque abbas eorum de hac luce migraverit, abbatem inter se eligendi licentiam habeant; quod si inter eos dignus non poterit inveniri, undecumque voluerint abbatem sibi conducere potestatem habeant; et ut nullus hanc constitutionem infringer presumat; ordinationes Mogontinus archiepiscopus absque munusculo faciat et tabulas benedicat; et si in ipso monasterio aliqua discordia evenerit, tunc ipse abbas et monachi abbatem de alio monasterio et episcopum sibi coniungant seque pacificent; quod si ibi non possint, tunc ad sinodum nostrum veniant; nosque eadem et renovare et nostra auctoritate corroborare postulavit. Cuius iuste ac rationabili pie annuentes petitioni, divinae remunerationis inmarcescibile praemium certa spe exspectantes ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus ad nos usque deducta confirmavimus, confirmando praecepimus, ut supradictus abbas eiusque successores praenominatae aecclesiae res acquisitas seu iuste acquirendas libere ac potestative possideant et damnum a quovis temerario ausu sibi inlatum minime sentiant. Et ut haec nostrae confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat aevo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Signum domini Heinrici regis quarti invictissimi. Pibo cancellarius vice Sigfridi archicancellarii recognovi. Data kal. iun. anno dominicae incarnationis MLXVIII, indictione VII, anno ordinationis domni Heinrici XVII, regni vero XIII; actum Mogontie; feliciter amen.